



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis

Stanyhurst, Guillaume

Coloniae, Anno 1702

VD18 1237699X

Prooemium. De Inferno, Homo vetus descendat cogitatione ad inferos, ut
inde novus ascendat perfectione ad Superos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)



Perierunt propter iniquitatem. Qui hic se querit, aeternum perit.

30

PROOEMIUM
DE INFERNO.

Homo vetus descendat cogitatione
ad inferos, ut inde novus ascen-
dat perfectione ad su-
peros.

QUod fuit olim inclyti in purpura
Vatis seu voventis desiderium, seu
momentis consilium, ut quibus est
cupido ascendere ad Superos, ubi desi-
nent vivere, [a] descendant in infer-
num viventes; hoc ipsum & meum est
votum, ut quotquot sunt per omnes om-
nium terrarum regiones homines, [b]
descendant in infernum viventes, ne
descendant morientes; ut loquitur
D. Bernardus. Descendant eò, dum
adhuc sunt sine morbo incolumes, ne
descendant, dum erunt sine vita exani-

K 4 mes.

a Psalm. 54. b Orat. ad frat. de
monte.

mes. An forsan tibi arduum dices, quin
 & inusitatum, descendere? An tibi ex-
 cidit Evangelica illa parabola: [a] Ho-
 mo quidam descendebat de Hierusa-
 lem in Jericho? Illa parabola, de te est
 fabula, imò historia. Tu es homo ille.
 Non prius cœpisti vivere, quàm descen-
 dere. In ipso si nescis, conceptus matris
 utero, jam inde descendisti de Hierusa-
 lem in Jericho. In peccatis enim conce-
 pit te mater tua. Quid est autem pecca-
 tum, nisi quidam descensus, videlicet
 à summo bono ad summum malum?
 Quoties peccatum committis, toties
 descendis. Nihil igitur tibi, si laborem
 spectes, est facilius, si usum familiaris,
 quàm descendere. Non sapiens quæ sunt
 supra terram, si frequenti cogitatione
 descendas infra terram. [b] Qui def-
 cendit, ipse est qui & ascendit supra
 omnes cælos. Observa ordinem, ne
 descendas illic, ubi nullus est ordo.
 Christus primò descendit ad inferos,
 deinde ascendit ad cœlos. [c] Si nolis

a Luc. 10. 30.

b Ephes. 4. 9.

c Job. 10. 22.

aberrare à via cœli, sequere eum, qui est
via ad cœlum. Si ambis ascensum ad
Superos, prius descende ad inferos. Con-
templare illic summi mali, summa mala,
& nihil tibi proclivius erit, quàm decli-
nare à malo, & facere bonum. Illa enim
expendendo fugies seclera, & effugies
scelerum supplicia. Pigebit peccare, pu-
debit peccasse, dum horrebis pœnas, quæ
manent peccantes. Hæc, ut olim Lovanii
Jurisconsultis consulerem, magisque
essent cœlestis, quàm civilis juris periti,
suggeri è suggestu; sed quia semel ex-
cepta auribus, facile excidunt menti-
bus, volui quæ dixi olim ad eos è cathe-
dra, omnibus exhibere spectanda in te-
nui tabula; non nescius altiùs inhære-
re sapiùs lecta, quàm semel ab aliis au-
dita, à me dicta. Itaque timor, quem ti-
mebis, ea legendo non erit ad mortem,
sed ad vitam. Nam juxta adagium,
Qui pavet, cavet, atque adeo sæpe quod
nocet, docet. Tu igitur ad ea, quæ sunt
scripta, animum attende, & nullus
dubitatur, magno nisu ad Superos con-
tendes.

LOCUS
ET
SOCIETAS.

] Infernus est regio Mortis, regia Dæ-
monis, cujus porta est desperatio,
aula carcer, tapetes tenebræ, mensæ
vincula, cibus fames, potus fitis, horo-
logium ululatus, lecti ignes, ordo
chaos confusionis. Est tenebricosum
ergastulum æternis undique seris,
claustris, repagulis, catenisque obsera-
tum; cui supernè iræ Dei imminet si-
gillum. Ad hoc subterraneum spe-
læum cogitando descenderat melli-
fluus Doctor, qui ubi ea, quæ geruntur
spectavit; quæ dicuntur, audivit; in
hæc verba exclamavit: [a] *O regio du-
ra, & gravis! regio extimescenda, regio
fugienda, terra oblivionis, terra affli-
ctionis, terra miseriarum, in qua nullus
ordo, sed sempiternus horror inhabitat!
locus letifer, in quo ignis ardens, ubi
frigus rigens, vermis immortalis, factor
intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ*
pals

a Serm. de Region.

palpabiles, horribiles demonum facies!
Totus tremo atque horreo ad memoriam
istius regionis, & concussa sunt omnia
ossa mea. Paucis ejusdem loci condi-
tionem perstrinxit Hugo à S. Victore,
dum ait, locum esse, [a] *ubi nulla spes*
boni, nullaque desperatio mali: ubi
jurati Dei inimici omnibus, quæ op-
tare possunt, bonis privantur, omni-
bus, quæ timere possunt, malis cru-
ciantur.

Quis illo loco erit miserorum
Princeps? quis Dominus? Is, qui à
fœditate & truculentia dicitur Dra-
co; à versutie & calliditate Serpens:
à nocendi desiderio Leo rugiens: à
magnitudine & potentia Behemoth:
ab ira magna Diabolus. Quos habe-
bunt amicos? Ne quidem unum in
tota rerum universitate, sed singuli
& damnati, & Beati, & Angeli, & dæ-
mones, & homines, illos immenso
quodam odio prosequuntur: erunt
omnibus creaturis invisi, exosi, ex-
ecrabiles, abominabiles, tanquam
ipsa

a Lib. 4. de Ani. cap. 23.

ipsa abominatio. Quos, qualesve so-
 cios habebunt? Malitiâ improbos,
 specie horribiles, conditione miseros,
 rabie furiosos, malevolentiam obstina-
 tos. Tu igitur, si sapias, imo ut sapias,
 hæc loca, ubi nulli bono est locus, sæ-
 pe cogitando adeas: abdas te sub ter-
 ra, & omnia tibi displicebunt, quæ
 sunt supra terram. Imitare illum in
 deserto Ascetam, de quo in vitis Pa-
 trum traditur: [a] Ego (inquebat ipse)
ob peccata mea Inferno adjudicavi
meipsum, dicoque: Esto cum illis, qui-
bus dignus es: istis post modicum annu-
meraberis. Aspicio ibi stridentes den-
tibus, & salientes toto corpore, & tre-
mentes à capite usque ad pedes. Video &
mare ignis bullientis, & circumfluen-
tes & mugientes, ut putant aliqui, usque
ad cælos attingere fluctus ignis, & in
tremendo illo mari innumerabiles ho-
mines dejectos, &c. O quàm vicinus
 es huic loco jam expresso! Notum est
 illud Philosophi: Navigantes tribus
 tantum digitis distare à morte. Non
 quan-

a Lib. 7. cap. 44.

quantum distant navigantes à morte, tantum distant viventes à regione mortis. Aveſne, ô peccator, ſcire quantum diſtes ab inferno? tantum, ut ſi hoc momento vivere deſinas, altero momento in orco ardere inci-
 pias. Totus infernus cum toto ſuo tormentorum apparatu, non diſtat à te, niſi temporis puncto.

Si illuctimeas, cadendo deſcendere; hic caveas, ſuperbiendo aſcendere. Primus deſcendit in tartarum, ille cœleſtium ſpirituum primas, cum diceret: [a] *Ascendam ſuper altitudinem nubium.* Hinc memor Angelicæ cladis David, exclamat: [b] *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* [c] *Quæ verè à ſic exponit D. Ambr. Non ſim ſuperbus, ne peccem; non peccem ne movear; non movear, ne cadam: non cadam, ne expellar.* Et paulò poſt:

L

Nescit

a Iſa. 14. 12. b Pſal. 35. c In Pſalm:

Nescit stare superbia; & si ceciderit, non
 novit resurgere. Vis tibi proponi Lu-
 ciferi æmulos? suis illos lineamētis ad
 vivum expressit D. Amb. [a] Eiusmodi
 sunt erigentes supercilia, inflato corde,
 elato pectore, cervice resupinā, qui so-
 lum quidem vestigiis pedum perstrin-
 gunt, toto autem se librant corpore, &
 inani suspendunt examine; in priora
 gressa procedunt, ad posteriora cervicem
 reclinantes, cælum spectant, terram
 autem fastidiunt, tanquam cervicis do-
 lore suffixi, ut eam inclinare non possint.
 Ecce Luciferi, in scholā discipulos: in
 familiā servos; in palæstra milites. Il-
 la vox plena fastu, quam ex turgido
 spiritu eructabat, *Conscendam*: dice-
 bat enim is: *In cælum conscendam*;
 transfusa est ad omnes omnium sæcu-
 lorum homines. Nullus est, qui non
 ambire conscendere. Est plebeius ali-
 quis civis, qui videt Magistratum in
 excelsioribus subselliis confidentem,
 mox ipse secum; In subsellia illa con-
 scendam. Est pedarius quispiam, qui
 ambire dignitatem Judicis, & ille; In

a *L. de Arca & Noe, c. 16.*

tri-

tribunal conscendam. Est aliquis qui vix à limine salutavit Jurisprudentiam, intelligit Cathedram vacare: In Cathedram conscendam. Nemo est, qui non arrogantiae typo inflatus, non crepat illud plenis buccis, cum Luciferō: *Conscendam*. Hinc tam multi ad inferna descendunt. Toto ergò cœlo, à cœlo aberrant, qui, ut eò pertingant, ascendere contendunt, si quæris, quomodo ascendat quis in cœlum? dicam, Descendendo, contra verò ascendendo, rectâ descenditur ad infernum. Non opus est alio exemplo, quàm quod jam exposuimus, Luciferi, qui cum ascendere vellet in cœlum, descendit ad orcum. Via ergò cœli, est per descensum: via inferni, per ascensum. Licet cœlum sursum sit supra nostrum caput: Infernus deorsum, infra pedes; tamen, ut illuc attingas, necesse est te demittas, subicias, verbo, descendas. Scriptum enim est: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur: sic humiliatus est super-

bus Lucifer , exaltatus humilis Mi-
chaël.

T E N E B R Æ.

Tenebrae & palpatione facta sunt super
speluncas usque ad aeternum. [a] In
tartarea illa spelunca ac latebroso &
prærupto specu , dicuntur [b] tene-
brae exteriores esse , id est alterius ge-
neris quàm nostræ hic tenebrae ; non
enim sunt aëris obscuratio , sed hor-
ridæ, sulphureæ, fœtentes, caliginosæ,
crassæ, densæ ; & quidem tanta den-
sitate , ut veluti palpari possint , tan-
to horrore , ac pavore , ut palpitare
faciant miseros ex pavore. Quare
anima primo momento , quo hanc
aspectabilem lucem deserit, quasi jam
extremum vale dicens Soli , Lunæ,
planetis, stellis, sideribus omnibus,
sibi ipsi occinit illud Jobi , [c] *Vadam
& non revertar ad terram tenebrosam
& opertam mortis caligine, terram mi-
seria & tenebrarum.* Dicitur terra te-
nebrarum.

a Isa. 32. b Mah. 22. c Jobi
10. 21.

tenebrarum: quia ibi tanquam in nati-
 vo solo obscuritas provenit, sicut di-
 citur terra auri, aut argenti, ubi res
 illæ proveniunt. Ex hoc tenebricoso
 antra, & fumoso vaporario, velut è
 tenebrarum pelago ad Ægyptios ca-
 ligo & obscuritas exundavit. Hinc
 Sapiens Ægyptias tenebras vocat: [a]
impotentem verè noctem, & ab infimis,
& ab altissimis inferis supervenientem:
 sicut voragines quædam eructantes
 sulphureas flammæ, quod Vulcani os,
 inferni ostia & fenestras vocamus.
 Hunc locum lethales, & immedica-
 biles umbræ occupant. Ibi obscura
 & cæca mors, & caliginosus orcus
 sedem atque regiam constitutam ha-
 bent. Ibi per obscurissimam lucem
 & spissos tenebrarum globos horri-
 fica spectra, tristia simulachra, ferales
 imagines mortis, & lethales manium
 umbræ obversantur ante damnato-
 rum oculos. Nullus præterea ulla in
 re erit ordo, sed incredibilis confusio,
 quæ in ipsis damnatorum mentibus

L 3

per-

a Sap. 17.

perturbatis potissimum cernit : in
 tenebris enim maximis omnia misce-
 ri, confundi, perturbari necesse est.
 Aliud igitur in his tenebris exterio-
 ribus & interioribus damnati non
 valebunt cogitare quam de pœnis
 suis. Illic namque dirigunt totum
 impetum cogitationis, ubi sentiunt
 vim doloris : Quare refert Innocen-
 tius discipulum quendam apparuisse
 Magistro suo post mortem. [a] Quem
 cum Magister intellexisset esse dam-
 natum, quæsit ab eo, num aliquæ
 quæstiones apud inferos moverentur?
 Respondit : *Apud inferos quaritur so-
 lummodo, quid non sit pœna.* Ut has
 tenebras evitetis, *ambulate dum lucem
 habetis, ut non vos tenebræ comprehen-
 dant.* [b] De his tenebris loquitur S.
 August. *O quisquis es flagitiosus, qui
 soles propter tua malefacta & adulteria
 non solum tenebras non horrere, sed qua-
 rere: qui soles plus gaudere, quando lu-
 cerna extinguitur: non tales tenebras*
habet

a Lib. 3. de contem. mund. c. 7.

b Joann. 12.

habebis, ubi gaudeas, ubi voluptatibus
carnis oblecteris. Non sic erunt tene-
bra. Quomodo ergò erunt? Ibi erit fle-
tus, & stridor dentium: Tortor sine de-
fectu, tortus sine defectu. Ut hæc de-
clinemus tenebras consilio Pauli [a]
*Abjiciamus opera tenebrarum, & in-
duamur arma lucis.*

Nonne hæc nostrâ ætate, plurimos
est reperire; qui, si verum fateri ve-
lint, cogentur de se asserere, quod Ju-
dæi illi apud Isaiam? [b] *Palpavimus
sicut cæci, &c.* Nonne hoc plurimis
convenit? *Palpavimus sicut cæci, pa-
vierem* Rectè: quia Christi Fide, Ju-
sticiâ, ac gratiâ ubique propagatâ, &
longè, lateque coruscante; quasi cæ-
ci, eam non vidimus; & quasi pal-
pantes incessimus, (cæcus enim ma-
num habet pro oculo; unde prius ma-
nu palpans, vestigium explorat, quàm
in eo gressum figat) Dein addit: *In ca-
liginosis, quasi mortui*, Leo Hebræus
vertit *In sepulchris versamur, quasi
cadavera*; quasi dicat, sicut mortui
L 4 degunt

a Rom. 13. 12. b Isa. 59. 10.

degunt in terris, putidis, & tenebro-
 sis sepulchris: Ita nos, nostris flagitiis
 & spurcitiis dediti, in eis hæremus,
 jacemus, volutamur; in ea impingi-
 mus, ruimus, labimur; ut nunquam
 nobis lux gratiæ, fulgor lætitiæ, splen-
 dor veri boni illucescat: ac si planè es-
 semus mortui, exangues, exanimes.
 Quot sunt in plurimis Regionibus,
 Athei? in Palatiis, aulici; in curiis,
 politici; in Academiis, scioli, qui no-
 runt regere, Imperio populos, gu-
 bernare urbes, ferre leges: interim in
 rebus arcanis fidei, in mysteriis Chri-
 sti, negotiis cæli, sunt tanquam pueri
 elementarii; *palpant*, tanquam cæci,
parietem; *impingunt meridie*, quasi in
tenebris. In salutis negotio, fæda illis
 est caligio; in rebus Divinis, alta nox,
 in percipiendâ rerum æternarum
 veritate, Cimmeriæ tenebræ. Cæci
 & obscurati iudicii perversitate, bo-
 num malum, & malum bonum di-
 cunt; contemnunt æstimanda, æsti-
 mant contemnenda: cœlestibus ter-
 restria, æternis momentanea, spiri-
 tuali-

ualibus carnalia, salutaribus noxia
anteponunt: atque ita cæci, stulti, a-
mentes, furiosi, perversi; ut illi apud
Isaiam: *Palpant, sicut cæci, parietem;*
iupingunt meridie, quasi in tenebris.

Nihil illis prodest frequens Concio;
nec Dei inspiratio, nec amicorum
monita, nec conscientia vermis, nec
timor mortis; nec formido ge-
hennæ: non terriculamenta, non
lenimenta, nec minæ, nec blan-
ditia: hi cæci, magnis passibus
tendunt ut ad tumulum, ita & ad tar-
tarum. Ne his ego involvar tenebris,
clamo ad te, ô Pater luminum!

[a] *DEUS meus illumina tene-
bras meas!* [b] *Faciem tuam illu-
mina super servum tuum.* O lux cordis
mei quam cæca & supra Ægyptiacam
caliginem, atrâ nocte circumseptus
vivo; cum mihi vultus tui lumen non
affulget. Impingo undique, velut qui
in tenebris incedit: & nec vitanda,
nec sequenda secerno; sed modò in
hanc, modò in aliam peccati foveam
rolabor, non sine præsentis periculo,

a Psal. 17. 29. b Psal. 118. 135.

ut

ut in viâ tam lubricâ hujus mundi, tandem in præcipitium salutis meæ devolvar. Exorere ô Sol meus supra Horizontem cordis mei, & umbras omnes expelle, illuminare his, qui in tenebris, & umbrâ mortis sedent. Da mihi, ô Amor meus! ô lux mea, ardere, & lucere! Amore ardeam; exemplo luceam; donec videam. [a] *Te in splendoribus Sanctorum: ubi electi tui fulgebunt, quasi splendor firmamenti; [b] & quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

FOETOR.

DE cadaveribus eorum ascendit fœtor: (c) Dixit id de Assyriis Isaias; veriùs id asserueris de damnatis. Quot illic sunt corpora, tot sunt fœculenta cadavera, Stomachi eorum pestilentibus humoribus gravati, & igne circumfuso bullientes, teterrimam perpetuò mephitim exhalabunt; nec tamen vicissitudo, vel epotandi fordida, vel exhalandi graveolentia unquam

a Psalm. 109. v. 3. b Dan. 12. v. 3.
c Isa. 34.

iniquam cessabit : Illa foetida , & olida
cadavera tanquam emplastra empla-
stris adhærebunt. Unde tam imma-
nis , & pestilens erit ille foetor (teste
D. Bonaventura) [a] ut si unius tan-
tùm hominis damnati corpus in hunc
mundum adduceretur , omnes con-
festim domus , pagos , urbes , provin-
cias , omnes pisces , volucres , bestias ,
homines , totum hunc aërem , univer-
sum denique orbem , pestiferâ lue in-
ficeret , & quidquid spirat , interficeret.
Quid facient ergò infinita propè dâ-
natorum cadavera , à tot annorum
millibus igne tartareo tosta ? Qualis
erit ille odor qui ascendet ex sulphu-
reis ignium globis , è tetrīs exhala-
tionibus , & execrandis putoribus ;
ex obscœnissimo illo volutabro , ex
graveolenti vomicâ , ac colluvie , u-
bi monstra illa verminosa in sterco-
ribus suis volutantur , & veluti com-
putrescunt ? Augebitur in immen-
sum foetor ille ex igne sulphureo ,
qui crasso , & tetro fumo totam il-
lam cavernam replebit. Solus ille

infernī foetor satis sit damnatis ad moriendum, nisi divino miraculo ad pœnæ æternitatem mori prohiberentur.

Abominabatur Martha cadaver fratris Lazari, quod quattriduo in sepulchro jacuerat, adeo ut vix foetorem naribus sustineret; ut patet ex illis ejus verbis: [a] *Domine quattriduanus est, & jam foetet.* Quis igitur horror erit videre, tangere, & olfacere putrescentia illa cadavera, quæ in tartarorum barathro jam inde à quatuor, aut quinque annorum millibus sepulta jacere? sed rem hanc historiâ confirmemus. Quod dico, sumpsi ex vitis SS. Patrum. [b] Duo erant viri sanguinis claritate illustres, qui cùm ad Ædem sacram sese conferrent, fortè audiebant de horribilibus inferorum suppliciis differentem è pulpito sacrum Ecclesiasten; qui tartarorum cruciatus summâ vi eloquentiæ, ac dicendi ubertate mirificè exaggerabat, & patheticè exprimebat. Aperiebat
illie

a Joann. ii. b Busto T. 2. 559.

illis illam profundissimam inexplicabilium miseriarum voraginem; in quibus Divinæ Majestatis perduelles supplicio æterno mactantur: proponebat varia, quibus fontes in Erebo cruciantur tormentorum genera: ostendebat locum illum esse omnium acerbissimum officinam, olidam mephitim, denticulos halantes, cloacam mundi, sordium omnium faciem & colluviem; & alia complura nata metum incutere, & horrore perfundere. Illorum unus, cum hæc veritate majora censeret, & magis ad pompam, quam ad veri normam dicta indicaret, dicentis verba ridendo explofit, & sacrum illum Oratorem ut hyperbolicum Rhetorem contempsit: Alter contra, quæ de orco dicta audiverat, tanquam sibi, ut resipisceret, aliquando eventura, metuens, immodicè timuit, & oppidò consternatus; spretis & mundi illecebris, & corporis lenociniis, Religiosæ vitæ amplexatus est institutum, ut evaderet Animæ interitum. Inter hæc tam disparia vitæ

instituta, alter ille, Divini verbi contem-
 ptor, post morbum diuturnum, devolutus est ad diem extremum:
 Cùm jam conclamatũ esset de ejus vita; accessit alter amicus, quem & ob-
 testatus est, ut ei à morte appareret; & quis esset alterius mundi status, edoceret. Itaque vitã jam defunctus, nocte quãdam videndum se illi exhibuit. Et cùm alter, quo loco esset, quove in statu versaretur, quæreret: Respondit alter, malè secum agi; jam se æternis pœnis addictum. Cui Monachus; sunt ne, ait; tam horribiles in orco cruciatus, ut Divini verbi Præcones è suggestu annuntiant? Tunc damnatus; ô frater, ait, nec omnes omnium hominum linguæ vel numerare possunt pœnarum multitudinem, vel explicare magnitudinem. Non possum, inquit Monachus, experientiã, quantæ sint pœnæ, cognoscere; planæ inquit alter: Quo pacto placet pœnas experiri, videndo, tangendo, aut gustando? Reposuit Monachus: Nolo videre, quia sum naturã

naturâ meticulosus, & videndo terribilia, animus me deficeret. Nolo etiam tangere, quia tactu sum admodum delicatus: Nolo gustare, quia habeo debilem stomachum; sed fac, ut odoratu aliquid percipiã. Tunc alter explicuit, quo erat involutus, pallium: & ecce repente erupit inde tanta putredo, tam intolerabilis putor, tam incredibilis fœtor, tam abominabilis, & pestilens odor; ut omnes illius Ordinis Monachi, velut amantes, phrenetici, ac planè mentis impotes hinc inde vagando discurrerent, clamando vociferarentur, velut insani; necesseque illis fuerit, ex illo Monasterio migrare ad locum inde longissimè distitum, ne fœtore infecti, extinguerentur. Si unum unius damnati corpus talem mephitim ediderit: quid erit illic esse inter trigies mille milliones corporum damnatorum?

Quid illic ages delicatule? Ubi tunc peregrini muris olentes pelliculæ? ubinam flosculi toties naribus
ad-

admoti? ubi aromata, ubi balsamata
 ubi transmarina suffimenta? [a] *Erit
 pro suavi odore fœtor.* Vel ut Vatablus
 vertit, [b] *Erit pro muscotabes.* Quid
 agetis, si contingat vos in hanc arden-
 tem conjici fornacem, pice bullien-
 tem, sulphure fœtentem, tenebris hor-
 ridam, fumo vaporantem? In illo ste-
 rili solo non erunt horti, non tempe,
 non viridaria, ubi violas & rosas, ubi
 lilia & narcissos, quos naribus admo-
 veatis, invenietis: Ne vos, ut hædos
 illos tartareos infestet æternus fœtor,
 ostote hîc [c] *Christi bonus odor.*

F L E T U S.

V *Æ* vobis qui ridetis, quia lugebitis,
 & flebitis. [d] Afferit D. Bonaven-
 tura damnatorum fletum fore tam
 copiosum, ut si singulorum damna-
 torum asservarentur lachrymæ, tan-
 tum olim ex iis confici lachrymarum
 posset, quantum est aquarum in toto,
 quantus patet, Oceano. Nihil sanè,
 prout

a *Isa.* 3. b *2. Corinth.* 1. 15. c *2. Cor.* 2.
 d *Luc.* 6.

prout res habet , dicit S. Bonaventura : adde proinde tu vasto Oceano tot lachrymas , quot aquarum guttas , non modò Rhenus , vel Scaldis , sed & cætera totius orbis flumina , non modò uno die , sed omnibus retrò sæculis in mare exonerarunt : quot guttæ pluviæ ab orbe condito in terram defluerunt ; adde porrò tantum insuper lachrymarum , quantum fuit in abyſſo illa immensa , primâ mundi luce à Deo conditâ : adde , si ita vis , decuplo , centuplo , imò & millecuplo , denique quantum voles plura ; nil hæc omnia ad immanem illum quem damnatus quilibet effundet fletum. Illa siquidem omnia finita sunt , hic fletus est futurus infinitus. Beatus Macharius dicit in inferno lachrymas fore igneas , quæ comburant corpora. Edent præterea horrendos ejulatus , gemitus , clamores , inconditos strepitus sonorum , qui in maxima illa caverna tonitruorum instar latè remugient. Illic collachrymantibus oculis , adgemiscente

te pectore , ductis ex corde suspiriis ,
 evocato ex pulmonibus lamentabili
 clamore , & miserabili ejulatione ,
 infinities verba illa ingemi-
 nabunt : [a] *Ergò erravimus à via
 veritatis , & justitiæ lumen non luxit
 nobis ? Accipite flebiles damnatorum
 elegias & funebres nœnias ex S. Eph-
 rem :* [b] *Tunc amarissimè illachry-
 mantes , ejulantesque dicunt : O quo pa-
 tto in negligentia , atque torpore tempus
 nostrum transeginus ! ô quomodo illusi
 sumus ? quomodo Divinam Scripturam
 audientes , irridentesque nos ipsos irri-
 simus ! Ibi Deus loquebatur nobis per
 Scripturas , & non attendebamus ; hic
 jam nos clamamus , & ipse suam à no-
 bis faciem avertit. Quid nobis prode-
 runt fines mundi ? Ubinam qui nos ge-
 nuit Pater ? Ubi qua nos peperit mater ?
 Ubi filii ? Ubi amici ? Ubi divitiæ ? Ubi
 substantia , atque possessiones ? Ubi tur-
 ba ? Ubi convivium ? Ubi varii , & in-
 tempestivi cursus ? Ubi Reges atque po-
 tentes ? Quomodo à nullo illorum sal-
 vari modò possumus , neque verò nobis
 a Sap. 5. 6. b Trac. de Abre. ! opem*

opem adferre? At penitus derelicti sumus, & à Deo & à Sancto ejus. Hæc erant quæ pangent miseri carmina. Quanta dementia, non prævenire fletibus fletum: in valle lachrymarum effusè redire, & quidem amisâ Dei gratiâ, ac jure ad cælestem gloriam? Et hoc est quod S. Thomam adeò præ aliis omnibus capere se non identidem dicere solitum ferunt: quî videlicet fieri posset, ut qui se peccati lethalis reum sciret, læto, atque hilari unquam animo esse posset: utpote qui se tantis fletibus, atque mœroribus obnoxium esse intelligeret.

Sed quid miramur, miratum fuisse D. Thomam? cùm plurimi sic vitam instituant, ac si damnatorum supplicia, essent vigilantium somnia, aut anicularum deliria? Hinc nisi viderint aliquem ab orco reducem: vel legant epistolam aliquam ab inferis scriptam; & pœnarum illarum indicem, non credunt. Itaque, ne quid ad hujus articuli veritatem confirmandam deesset; permisit subinde Deus, etiam

etiam à damnatis, damnatorũ pœnas, scriptis inde litteris confirmari, [a]
 Cùm enim vir quidã profligatissim⁹, ab uxore suã blandè corripere, & officiosè admoneretur, ut ad frugem rediret, è cæno emergeret, ne, ut Divini è Cathedrâ verbi præco minabatur, æternas flammâs incurreret. Maritus ad hæc uxoris verba: Abi, ait, stulta, tu credis serio hæc à Concionatoribus dici? Comminiscuntur hæc & fingunt, & Inferorum cruciatus exaggerant, ut panico timore homines deterreant, & in officio contineant: quia si Infernus sit, nec ne, Deus scit. His dictis, repentinâ morte correptus, teterrimum fumum emittere cœpit: exilit lecto mulier, vocantur ancillæ, afferuntur lumina; & ecce truncum jacens cadaver, in carbonem fumigantem conversum, invenitur, has literas carbone Inferni descriptas in manu tenens: *Jam certus factus sum, quod sit infernus.* Ita nimirum, qui Evangelio non credunt, hâc ratione

a Garcias T.2.452. Conci. Evang.

tione erudiuntur , misso scilicet igne
 de cælo , ut ait Jeremias : [a] *Misit*
ignem in ossibus meis ; & erudit me.
 Nullus opportunior, qui nos erudiat,
 & doceat timorem Domini, Magister,
 quàm hic ignis, mente, & crebrâ co-
 gitatione expensus , & ante oculos
 propositus. Hoc ultimum est, quod
 cælestis ille Medicus, ad salutem jam
 propè depositam conservandam, ad-
 hibet remediũ. Sicut cum tumor ulce-
 rosus in corpore fit ; & blanda phar-
 maca non prosunt, ferrum adhibetur
 candens, & adurens : sic Deus, post-
 quam pietatis remedia, postquam la-
 chrymarum suarum antidota ; post-
 quam sanguinis sui adhibuit pharma-
 ca ; nec illa prosunt, ferrum, & flami-
 mas adferri mandat. Quod ne nobis
 accidat ; hîc oculos fidei amplissimè
 aperiamus, quæ Deus minatur suppli-
 cia, identidem contemplemur :
 ne oculos, quos hîc clausit
 culpâ ; postea aperiat
 pœna.

Fa-

à Trè. 1.

F A M E S.

Famem patientur ut canes. [a] Sicut canes præ famis magnitudine occupantur circa sordes, cadavera, fimum, fimeta, & quæcunque ob graveolentiam, & corruptionem, aut inutilitatem ejiciuntur extra civitatem; sic impii ut canes famelici seipsum mordebunt, & consumere vorando contendunt. Innuit hic Isaias. *Erit populus quasi esca ignis: (b) Vir fratri suo non parcet, unusquisque carnem brachii sui vorabit.* Quis nescit fame stimulante homines foedissima quæque comedere, feles, mures, rancidos canes, quin & propria membra, ac etiam liberos? Nec deerunt foeda, & amara æternum esurientibus fercula. Nam in primis lingua & palatum damnatorum humore aliquo semper imbuentur, sed tam amaro, ut neque fuligo, neque fel, neque absinthium, illi æquari ullo modo possint. Sed nulla major fitis, famisque est præ illa,

a Psal. 58. b Isa. 9.

illa, quam damnatus quilibet avidi-
simè desiderat, Deo frui, ejusque cæ-
lesti mensa, nunquam saturandus. Ista
porrò animæ ad Agni nuptias, ad cœ-
nam illam magnam aviditas, non ni-
si canis sagacis impetu, & celeritate
indagando potest explicari; qui dum
fame stimulatur, si semel catenâ col-
ligatus est, & hora cœnæ, aut prandiî
imminet, atque acutissimo olfactu
cibos per nidorem odoratus est, vide-
as brutum animal, ire, redire, morde-
re catenam; huc, illuc ferri, horren-
dum ululare, & quasi catenâ solutus
sit, iterum atque iterum ad odorem
pergere, sic ut nec voce, nec minis, nec
virgâ, nec catenâ queat vis ejus appe-
titiva cohiberi. Scitis miserum illum
destitutum veste nuptiali, è domo
convivii, ligatis manibus, ac pedibus
fuisse ejectum in tenebras extero-
res. En canem ligatum. O anima!
quæ in tenebrosa illa spelunca semel
alligata ultimum tuum finem sub-
odorata es, quid si in aula æterni il-
lius convivii epulas olfeceris? Quid
si

si accumbentes videas torrente voluptatis potari ? Quid si Deum accinctum, ministrantem audias ? Quali impetu in finem tendis ? Quanto desiderio illi mensæ affidere expetis ? Infinito ; atque adeò impatientissimo. Siste ; frustra conaris. Non videbis Deum in terra viventium. Quis me hîc ligatum tenet ? Culpa. Quis huc me damnavit ? Deus. Hic nonne est qui me procreavit ? Ita, Cur igitur sic suam exagitat creaturam ? Quia sua jam non est. Jam ego Dei non sum, nec penes Deum cura est de me ? Nulla. Execror igitur summum bonum ; odi Deum, & ab omnibus odio haberi cupio. Sic miseri illi tanquam canes firmissimè ligati, ad odorem cælestis convivii avidi, cum videant se invitos tanto cum impetu illic cohiberi, furore ac fame rabidi, contra Deum latrant, blasphemant, ululant. Cave, quia non paucis dum calix est in manu, vinum in labiis, cibus in gutture ; dum eructant crudam & indigestam crapulam, repente intercludi-

ditur spiritus & jam benè saturi , ac strenuè temulenti, reperiunt sese inter ignes, ubi *famem patientur ut canes.*

Quàm illi mereantur intolerabile, famis , & sitis tolerare tormentum ; facile intelliget , qui illorum epulo- num vitam brutæ pecudi , quam ho- mini similiorem sibi ob oculos pro- ponat. [a] Illam nobis proponit , quasi in tabulâ expressam D. Chryso- stomus , qui certè illos voracissimos lurcones ; ac bibacissimos helluones , tam appositis coloribus depingit , ut nil illis ad veritatem exponendam nec addi, nec demi possit. Cui non est onerosus homo , aqualiculum pinguis- mum parans , & quasi bellua marina , trabendus ? Non loquor de his , qui na- turâ sunt tales ; sed his , qui delicatâ vi- tã, corpora sua effecerunt talia. Ori- tur sol , & claros ubique radios diffun- dit , excitat singulos ad opera. Agricola arrepto ligone properat ; faber ferrarius suos folles apprehendit , & singuli opi- fices , quod sibi congruit ; & invenies u-

M

num

a. 7. A. C. 6. Hom. 35.

unumquemque sua instrumenta in manus sumere. Mulier, fusum & telam. Ille autem, quasi porcus statim à matutinis horis ad pascendum ventrem egreditur; quærens, ut mensam sumptuosam instruat: tametsi hoc solum sit brutorum primo mane pasci, quoniam ad nil utilia sunt, quam mactentur. Illa autem, quæ dorso gerunt, & operibus apta, ipsâ nocte ad opus egrediuntur. Hic etiam è lecto surgit, Sole jam totum implente forum, & omnibus labore satialis. Surgit autem sese distendens, sicut porcus, qui saginatur: optimâ diei parte, in tenebris consumptâ. Deinde sedet longo tempore in lecto, præbesternâ crapulâ invenire vestes, & alia non valens, & consumptâ magnâ parte in illis; tum seipsum comit, & ornat, & procedit turpitudinis spectaculum; nil habens hominis, sed omnia, quæ sunt bestia, in humana forma apparent. Oculi lippiunt; vinum os olet: misera anima quasi in lectum coniecta, ob varietatem ciborum sine fine in forum, pondus carniû circumferens,

ferens, sicut elephas: tandem veniens,
sedet in locis; dicit, facitque talia, ut
melius esset, illum adhuc dormire,
quàm vigilem esse; si tristia narrentur,
quàmvis puellâ trepidior sit; sin lata, puel-
lo quovis letior, ac mollior. Vultus e-
ius oscitationibus plenus est; omnibus
adhaeret, qui volunt malè agere. Quo-
modo non omnes, talem condemnabunt,
& domestici, & amici, & cognati?
quis non justè dicet, onus hic est terræ?
frustra advenit in mundum talis? imò
non frustra, sed in malum sui capitis,
in damnum proprium, in detrimentum
aliorum. Vestro jam iudicio; quis
hominem huiusmodi, quem sanctus
Chrysostomus cum porco, belluâ ma-
rinâ, elephante, & cum quâlibet be-
stiâ meritò confert, dignum iudicabit,
qui ad nuptias Agni, qui ad Cœnam
illam magnam, qui ad illam immen-
sam, cui Deus ipse administrat, qui
denique in domum cœlestis convivii
admittatur? Egregiè ventrosos illos
gnatones, & patinarios parasitos fu-
gillat idem, qui supra Christianus

ille Demosthenes: [a] *Tempus belli, tempus certaminis est; tu autem sedes in delitiis! Tu impinguas teipsum, certaturus? stat adversarius stridens dentibus in te; tu autem effusus es; & mensa addictus? Christus præ fame tabescit: tu autem præ gulâ teipsum disrumpis? Nunquid sacrificandi sumus, quod impinguamus nos ipsos? Quid suppeditas vermibus tam splendidam mensam? Quid amplius facis, quam saniem? Cur fontes sudoris & faeces, in te deponis? Cur defodis animam? Cur crassum parietem, crassiorem facis? Cur magnum fumum, & nebulam? Nullus ergo speret post bacchanalia, & saturnalia, cæleste convivium, sed timeat æternum jejunium.*

VERMIS CONSCIENTIÆ.

Vindicta carnis impii, ignis & vermis. [b] Conspirans est Theologorum, quin & SS. Patrum opinio, damnatos veris torqueri vermibus:

adeo:

a In Acta. c. 13. Hom. 27. b Eccl. 7. 19.

adeoque in Averno esse propè innumeros vermes horribiles, fœdissimos, immortales, æternos, qui peculiari præter ignem pœnâ, corpora scelestorum affligant, & acutissimum dolorem inferant, ipsi doloris expertes. Ita D. Basilius : [a] *In inferno vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum erit, esitans quidem, nec tamen se satians, intolerabiles dolores moribus infligens.* S. Anselmus in Elucidario : *Tertia in inferno pœna est vermes immortales, id est, serpentes & dracones visu & sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.* Itaque scaturiet undique per nares, oculos, aures, os, examen fœdissimorum vermium, qui perpetuis moribus omnia intestina, & singula membra acrimè vellicabunt. Quod tormentum eò erit intolerabilius, quòd cum singuli ictus, ac morsus sint mortiferi, nullus tamen vitam auferat, etiam optantibus mori.

Alius ad hæc est vermis, qui non

M 3

cor-

a In Psal. 33.

corpus, sed animum corrodit: nimirum quod neglexerint per omnem vitam, oblatam occasionem salutis, ac temporis non redituri irreparabilem jacturam fecerint. Docet id S. Humbertus è sancta D. Dominici familia vir undequaque magnus sequenti historia. Homo quidam religiosus piis aliquando precibus occupatus, seriâ futuri ævi consideratione distinebatur, cum ecce tibi vocem lugubrem accipit, & ignarus unde adiabereetur. Quæsit ergò quis gemeret, quid etiam ploraret? Ad quem tristis iterum sonus: Sum unus ex damnatorum turba. Quid verò, inquit ille, tam lætuoosè suspiras? quid defles tam calidè? Cui denuò querula vox: Noveris ô magne Numinis amice, me, ceterosque Averni incolas, nil acerbius lugere, nil amarius deplorare, quam inter vanitates sæculi, brevesque illecebras, dilapidari temporis jacturam. Post hæc stygis umbra evanuit, sumque auditorem, metu non vano perplexum reliquit: Dum miser il-

li cogitant sine ullo fructu transiisse
sibi dies salutis , tempus acceptabile ,
tempus seminandi , nundinandi , pla-
candi Deum , lucrandi cælum , totos
dedunt lamentos , laxant omnes habe-
nas lachrymis , effundant se in fletum.

O mortales sat temporis perditum ,
sat datum vanitati , sat Baccho , Cere-
ri , Veneri . Quod reliquum est , Deo ,
Virtuti , Cælo , Æternitati consecre-
mus . Audies brevi in domo æterni-
tatis incola : [a] *Tempus non erit am-
plius . Non erit amplius tempus se-
minandi , negociandi , nundinandi :*
nullum amplius tempus agenda pœ-
nitentiæ , augenda gratiæ , accumu-
landa gloriæ , placanda divinæ Justi-
tiæ : [a] *Ergo dum tempus habemus ,
operemur bonum .*

Non finamus inter manus elabi il-
lud tempus , quod nunc est acceptabi-
le , postea erit irrevocabile , & ejus
damnum irreparabile ? Hoc tempus
est super omne pretium inæstimabile :

M 4

&

a Apoc. 6, 10. b Gal. 6, 10.

& tamen, quàm parvi illud æstiment
mortales, intelliges, ex Innocentio
Pontifice; ubi graphicè exprimit varia
variorum hominum negotia, quibus
expendunt dies salutis. [a] *Curvunt
& discurrunt mortales per sepes &
semitas; ascendunt montes, tran-
scendunt colles, transvolant rupes, per-
volant alpes, transgrediuntur foveas,
ingrediuntur cavernas; rimantur visce-
ra terræ, profunda maris; incerta flu-
minis, opaca nemoris: in viâ solitudinis
exponunt se ventis, & ruinis, & pra-
cipitiis, imbribus, tonitruis, fulmini-
bus, fluctibus, & procellis: Metalla cu-
dunt, & conflant, lapides sculpunt, &
poliunt; ligna succidunt, & dolant; te-
las ordiuntur, & texunt; vestes inci-
dunt, & consuunt; ædificant domos,
plantant hortos, excolunt agros, pastu-
rant vineas, succendunt clibanos, ex-
truunt molendina; piscantur, venan-
tur, & aucupantur: meditantur & co-
gitant; consiliantur, & ordinant; que-
relant, & litigant; diripiunt, & su-
rant*

rantur; decipiunt, & mercantur; contendunt & praliantur, & innumeralia, ut opes congerant, ut questus multiplicent, ut lucra sectentur, ut honores acquirant, ut dignitates extolant, ut potestates extendant: & hæc quoque labor, & mentis afflictio. Sic miseris transeunt dies salutis, donec diem obeant; & dum illi sine fructu transeunt, isti sine fine pereunt.

I G N I S.

TAM erit vehemens ille ignis, ut nec omnes omnium hominum lachrymæ, nec omnes omnium rivorum, torrentium, lacuum, fontium, fluminum aquæ, nec omnes abyssi & maria, in unum conflata, nec omnes dæmones, vel Angeli exertis omnibus viribus possint vel unicam illius extinguere scintillam. Miraris vim flammæ? Defines, si causam ex Isaia consideres. [a] *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit eum.* Quasi dicat: Indefessus Divini furoris halitus, quasi sulphureos evomet torrentes,

a Cap. 30.

es, efficietque, ut ignis ille nunquam
 langueat, nedum deficiat. Deinde,
 ignis corpora quidem comburit, non
 tamen consumit; unde ne unus qui-
 dem pilus inter tantos, totque flam-
 marum crepitantium globos, totâ æ-
 ternitate peribit. [a] Ex Cajetani
 mente, idem ignis damnatis ergastu-
 lum erit & vincula, quibus corpora
 constringantur in gehenna, nexus
 quo mens adigatur ad cogitandum a-
 cerbitatem supplicii, & voluntas co-
 gatur ad impatientiam pœnæ, & in-
 de orietur lugubris mœror, absoni
 gemitus, luctus perennis, ejulatus
 impatiens, feræ lahrymæ, & insanus
 furor. [b] Refert Granatenfis, vi-
 rum quendam sanctitate clarum illi
 dixisse, sibi cauterium in aure inu-
 sum, ut à morbo quodam curaretur,
 dolorem verò brevi illo tempo-
 re tantum fuisse. Ut si Deus ei optio-
 nem dedisset alterutrum eligendi, aut
 secundum cauterium perferre, aut
 ordinem aliquem religiosum quan-
 tum

a In cap. Matth. 25. b Tom. 3.

tumvis asperum, & rigidum ingredi, se maluisse hunc ingredi, quàm novi cauterii cruciatum sustinere, proh! si tantus est dolor, brevissimâ temporis morâ pati in aure cauterium, quid erit toto corpore per omnem æternitatem sustinere voracissimum incendium? ubi singula corporis membra, quin & venæ, & arteriæ, fibriæ, & intestina, & viscera, & ossa, non secus quàm spongia in medio oceano aqua, sic illa in stagno illo ardente igne replebuntur. [a) *Quis habitabit ex vobis, cum ardoribus sempiternis? Quis ex vobis, qui nil oletis nisi balsamum, & unguentum nil calcatis nisi rosas, & violas; nil expetitis nisi delicias, & epulas? qui ducitis in bonis dies vestros, in lascivia noctes? Quomodo vos delicatuli trosculi, quibus tormentum videtur intolerabile, summâ cute, momento uno; perferre minimam minimæ flammæ scintillulam; poteritis æternam noctem dormire in candenti lecto, in ardenti*

a Isa. 33.

furno? Attendite, & expendite verba S. Augustini, ut evadatis flammam ardoris sempiterni! [a] Non erit iste ignis, sicut focus tuus, quò tamen si manum tuam mittere cogeres, facies quidquid voluerit, qui hæc minatur. Si dicat: Scribe contra caput patris tui, scribe contra caput filiorum tuorum; nam si non feceris, manum tuam immittam in focum hunc; facies, ne ardeat manus tua: Minatur ergo inimicus tuus tam leve malum, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum?

Intellexerat hoc æternum malum, ille D. Dominici magni Patriarchæ filius, vir morum integritate celebris. [b] Hic Rege Castellæ connivente, per quosdam ad flagitium pellectus fuit; qui pellicem adornarunt, quæ eum falaciter, & fallaciter invitaret ad scelus ei locum, tempus, opportunitatem omnem condicit. [c] Adest illa nocte concubina, à Monacho dum intro-

a In Psal. 49. b Cantiprætell. 2. 6. 3. n. 45. c Spinellus de B. Virg.

intromittitur : sed clam ipso , testes ex insidiis rei eventum operiebantur. Dum Ecce , ut ad cubile venit , in medio pavimento , ex succensis carbonibus , ad mensuram corporis sui , flammam stratum exhibet ; nec mora , super illud se nudum conjicit , si eam compellans : veni , hic lectus dignus , ubi libidinem expleas. Accurrunt ex insidiis Proceres , hominem attollunt : sed citra adustionem , & ni hic intercessisset , ipsam pellicem igni addixissent , sed suffecerat sibi ignem ignibus extinxisse.

DESPERATIO.

Clausula janua [a] Rex Balthasar cum in convivio vidisset tria arcanam verba scribi in pariete , quasi à manu hominis. (a) *Mane , Thekel , Phares : facies commutata est , & cogitationes ejus conturbabant eum , & compages renum ejus solvebantur , & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Ita nimirum inauspicati o ninis illa tria verba erant , licet nondum à Rege

N

in-

Math. 25. b Dan. cap. 5.

intellecta. Tria sunt verba quæ damnatos atrociter perturbant, ob quæ omnium genua ad se invicem colliduntur: nimirum, *Clausæ est janua.* Primo momento quo infausti anima ingreditur illud ferale ergastulum, omnis infelicitatis receptaculum, clauditur illi janua spei, misericordiæ, quietis, felicitatis, gratiæ, pietatis, solatii, omnis boni. Omnes consolationis aditus illi sunt obstructi, luctus ac mœroris omnes aperti, Adamantinis seris clauditur Infernus: clathris ferreis hic carcer munitur. Hinc desperati ab omnibus tanquam rabidi canes, jugiter ululant contra cœlum, cœlites, Deiparam, Christum, Deum: optarentque omnes secum damnari. Intellectus enim damnatorum, qui Deum non vident nisi in effectibus perniciosissimis, flammis ultricibus, pice liquatâ, ardenti sulphure, horrenda societate, plagisque dæmonum, fetenti, ac tenebricosæ carcere, aliisque id genus malis, quibus accedit æternitatis in-

cre-

ērementum , quo exigui temporis
 peccata vindicantur : Intellectus , in-
 quam , damnatorum nil aliud videns,
 aut volantati repræsentans , furioso ,
 atque implicabili odio in Deum ferē-
 tur, à quo tota hæc vindicta proficisci-
 tur : & vicissim ex desperatione arde-
 bit infinito vindictæ desiderio , Dei-
 que (si fieri possit) conculcandi , at-
 que exterminandi. Nihil igitur intel-
 lectui offeretur , quod vel minimum
 possit adferre solatium. Patet id ex-
 emplo Aristotelis , quem ajunt à mor-
 te cuidam suo apparuisse discipulo , ac
 dixisse : [a] *Omnia quaecumque scie-
 bam , oblitus sum , solum mihi superest
 hoc scire , quòd in æternum perierim.*
 Hoc ne æternum cogites , hic modi
 omnes excogitandi , ne pereas. Tunc
 ferò feria voles ; quia, ut scitè Epipha-
 nius , [b] *post hominis mortem obfig-
 nata sunt promptuaria . & impletum
 est tempus , & certamen perfe-
 ctum est , evacuatum est stadium , &*

N 2

co-

a Magalinus in Judic. n. 43. b He-
 es 59. lib. 2.

corona datae sunt, & qui decertarunt, quiescunt, & qui non certarunt, non amplius adsunt, & qui in stadio victi sunt, dejecti sunt, & omnia palam consummata sunt, post factum hinc discessum. Hic ergo antequam animam agis, agenda est poenitentia, ne fatuus cum fatuis virginibus audias triste illud, *Clausae est janua.* (a) Quae janua? Clausae est janua omnis solatii; ô luctus! omnis gratiae: ô jactura! omnis meriti: ô infelicitas! omnis misericordiae: ô miseria! omnis spei; ô desperatio! omnis boni: ô malum! Tibi ergo ipse consule, quia si momento illo, quo in ictu oculi clauduntur omnia, fuerit anima tua destituta gratia, æternum audies; *Clausae est janua.*

Memoriae proditum est in fastis Ordinis Cisterciensis, quendam, qui illius Ordinis intraverat familiam, & amplexatus fuerat institutum, inchoatae illic vitae poenituisse; [a] atque ad eum, voluisse, unde pedem extulerat, & Ordinem deserere. Quod, cum

janua

jam firmiter secum decreverat, apparere illi, qui dudum fuerant, mortui, parentes ejus, qui hoc ejus decretum damnabant; & ne exqueretur, dissuadebant. Tandem, cum nec sic à proposito, & quod animo agitabat consilio, posset revocari; mater moesta penitus, denuo se spectabilem exhibuit; & ab eo, cur Ordinem deserre proposuisset, quærebat. Respondit is, non posse se tantam tam rigidi Ordinis sustinere asperitatem. Tum ad illum mater. Et amabo te, inquit, fili, inferorum pœnas qui sustinebis: Cùm reponeret alter, Ordinem hunc videri sibi ipsas inferorum adæquare pœnas; cujus vigiliæ, quasi perpetuæ, silentium amarum, lectus ferreus, cibus insipidus, vestitus asper: intulit mater: Placet, ait, fili unum, sed modicum inferni experiri tormentum; & cùm alter placere sibi oppidò responderet. Audivit tam horribilem porcorum grunitum, ut nullum quantumcunque fragosum tonitru posset cum eo conferri: videbatur ei

totum supra caput ejus scindi , & in partes findi cœlum ; & cùm præ dolore ac timore clamaret , & animo deficeret ; mater deficientis animum confirmavit , & mox cessavit ille sonitus. Vel ille clamor satis illi fuit , ut in arrepto vitæ instituto persisteret , & ad mortem usq; perseveraret. Sed quales erunt desperatorum querelæ , cujusmodi ululatus , quid lamentando miseri illi deplorabunt ? Accipite mæstas damnatorum elegias , flebilesque nœnias , ac lugubres lessus ex D. Ephrem. [a] Tunc amarissimè illachrymantes , ejulantesque dicent : O quo pacto , in negligentia , atque torpore tempus nostrum transegimus ! O quomodo illusi sumus ? O quomodo Divinam scripturam audientes , irridentesque , nos ipsos irrismus ! Ibi Deus loquebatur nobis per scripturas ; & non attendebamus : hîc nos iam clamamus ; & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi ? Ubinam , qui nos genuit pater ? Ubi , quæ nos peperit mater ? Ubi filii ? Ubi

Tract. de abrenunt. sub finem Tom.

Ubi amici? Ubi divitiæ? Ubi substantia? atque possessiones? Ubi turba? Ubi convivia? Ubi varii & intempestivi cursus? Ubi Reges, atque Potentes? Quomodo à nullo eorum salvari modo possumus: neque verò nobis ipsi opem adferre. At penitus derelicti sumus, & à Deo, & à sancto ejus? Hæc erunt, quæ pangent desperati carmina.

ÆTERNITAS.

Inter infinita tormentorum genera unum est quod damnatos acutissime urit, quod sibi dictum esse nimis verè illud Jeremiæ intelligant; *Perditus in ætenuum eris.* [a] Immane supplicium perferunt à cæca nocte, quàm stygiæ tenebræ secum vehunt & excludendo solem, commune captivorum solatium. Neque tolerabilior est mephitis illa, quæ exhalatur ex inferorum cloaca, plena pestilentissimi fœtoris. Augent dolorem multiplices lachrymæ, quæ ex oculis quasi continuo fonte fluunt. Porro miseriam miserrimorum apud Inferos

N 4

civium

a Cap. 51. 26.

civium accendit ignis stygius. Acerba hæc omnia. Sed nil his omnibus acerbius illo, quod singulis tormentis totâ mole incumbit, Æternitatis pondere. Hoc immensum pondus cum his momentis ponderasset falax quidam Juvenis (a) (de quo Granatensis,) sic ipse secum differere. Non posset invenire homo aliquis in hoc mundo sani cerebri, qui totius mundi imperium vellet admittere eâ conditione, ut per annos 30. aut 40. in lectulo plumis molli, in culcitra rosis & liliis strata extensus jaceret. Quod si ita est, quæ mania, quæ phrenesis, quæ hominum dementia, velle pro re nihili amplecti lectum ardentem, in quo torreatur æternùm? Ea cogitatio sic hominem pupugit, ut ad frugem redierit, & tandem ob exquisitas, quibus pollebat, virtutes, in Antistitem fuerit adscitus. Penetraverat in ipsa Æternitatis adyta eminentissimus Cardinalis Bellarminus, cùm il-

la.

a *Dux pecc. l. 1. p. c. 10.*

la verba Lovanii in D. Michaëlis templo è suggestu proferret: (a) *Tam horrenda res est, sine fine torqueri, ut licet unus tantum ex omnibus filiis Adæ tali supplicio esset mactandus, meritò omnibus pavendum ac trepidandum esset. Si ista non credimus, ubi est fides nostra? Si credimus, ubi iudicium? Si sanæ mentis sumus, si Divinis oraculis, si Prophetarum vaticiniis, si Ecclesiæ, si Christo, si Deo fidem adhibemus, quo pacto tam horrendo periculo imminente dormimus?* (b) *O aternitas!* (exclamat nonnemo) *quem cui consideratio non movet, caret vel mente, vel fide.* O quæ calamitas! immersum esse in stagno sulphureo, velut victimam destinatam ad pœnas persolvendas, in igne excitato flatu iræ Divinæ: nil amplius circa videre, nisi terrificæ demonum spectra, ad nihil superesse, nisi ad tormenta & cruciatus in toto corpore & anima perferendos:

N 5

depre-

a *Serm. de infer.* b *Pædag. Christ. p. 1.*
c. 8. §. 8.

deprehendere gehennam in propria conscientia: aliam non habere vitam, quàm æternitatem pœnarum: immodò momentis singulis cogitare, hoc omne & totum quod patior, in flamma, in sulphure, in pice, in fœtore, siti, & fame, sine fine, absque cessatione, sine interruptione minima, perpetuò esse patiendum. Hoc demum est terribilissimum omnium terribilissimum.

Conceperat illud terribile arcantum, quantum fas est homini, [a] Ægidius ille Religiosissimus, qui affirmabat: si unus tantum homo damnandus esset, cæterique omnes salvandi: ego totis viribus adniterer, ne unquam peccarem, ne sic essem ille unus. Quid verò ad ista talia nobis animi est? imò, quis esse debet? opportunè Bernardus? [b] *Alterum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetuò latari cum Sanctis. Bonum siquidem & malum; vita & mors, ante nos sunt posita: ut ad quod voluerimus, manus extendamus. Magni utrimque momenti sunt ea, quæ Christiano in*
a A Lapid. in 1. petri 1. 10. b de Ani. 23.

deliberatione venire oportet. Utrimq;
æternitas est; sed altera beata; infortu-
nata altera: ab hominis cujusque ele-
ctione pendet, utram admittat. Qui
recte, prudenterq; vult eligere, neces-
se est, imitetur Davidem, cujus est il-
lud: [a] *Cogitavi dies antiquos; annos æ-*
ternos in mente habui; & meditatus sum
nocte cum corde meo. Dignum planè ex-
ercitium, non infimis duntaxat mor-
talibus, & mediocribus, sed summis e-
tiam Capitibus, & coronatis vertici-
bus, dies, noctesq; cum securâ æter-
nitate occupari, præsertim quando de
eâdem, volucres sibi aliisque occinunt.
Civis Erfordii, corvum olim habuit,
domi suæ cicurem incolam: Advertit
aliquando herus, quod avis tristior se-
deret, suisq; se plumis involveret me-
ditabundæ similis: Ergò hortatur,
quid mente coqueret, aut quæ severior
cogitatio animum exederet. Tum cor-
vus quâ voce potuit: *Cogitavi; in-*
quit, dies antiquos; & annos æternos
in mente habui: hæc ubi dixi, si-
mul ex oculis patris familias abiit; ut

a Ps. 76. 67.

N 6

cre-

credibile fit , sub corvi ſchemate ,
 ſpiritum aliquem latuiſſe , quem æ-
 ternitatis memoria exercuerit. Ne-
 que tamen moror , ſpiritus hic fuerit,
 an veri nominis corvus? vellem , ut
 cum ipſo ſinguli quotidie, imò in mo-
 menta ſingula nobis occineremus de
 annis æternis tranſigendis : aut inter
 gaudia quondam Beatorum , aut in-
 ter inferorum ſupplicia. Denique,
 hæc pauca tecum identidem medita-
 re : Neceſſe eſt , mihi ſit poſt ulti-
 mum halitum corpori , & animæ, æ-
 ternum benè, vel æternum malè elige,
 benè elegiſſe , erit eligenti æternum
 bonum ; malè, æternum malum.

*Ut quæ legiſti effugias , hæc pauca ex-
 pendas.*

Quid gravius , quàm ſemper velle
 quod nunquam erit , & ſemper
 nolle quod nunquam erit ? In æter-
 num peccator non aſſequetur quod
 vult , & quod non vult ; nihilominus
 in æternum cogetur pati. *Clarius in
 Orat. 12.*

Quid (inquit quidam Sanctus) tri-
 ſtius

stius & durius , quàm dici semper
NON, ad ea quæ petuntur ; & semper
dici ITA , ad hæc quæ maximè odisti?
Ad districti iudicii iustitiã pertinet, ut
nunquam careant supplicio , quorum
mens in hac vita nunquam voluit ca-
rere peccato , & nullus detur iniquo
terminus ultionis , quia quamdiu va-
luit, habere noluit terminum crimi-
num criminis : S. Greg. in Moral.

Tunc videbit impius quòd Deus
cuncta conspiciat , cùm viderit se pro
occultis damnari ; aperiet oculos in
pœna, quos claudit in culpâ. Idem 25.
Moral. cap. 3.

Cruciatur, & non extinguitur; mo-
ritur, & vivit; deficit, & subsistit; fini-
tur, & sine fine est. Idem l. 9. moral. c. 40.

EXEMPLUM.

Jordanus Generalis Ordinis S. Do-
minici, filium cujusdam Comitum la-
scivum ac salacem, inferorum obje-
ctis pœnis ad frugem convertit. Multa
illi suggererat pia consilia, & salubria
monita, sed surdo canebat, cæco præ-
lucebat. Tandem cùm videret eum
formâ

formâ decorum, vultu speciosum, aspectu gratum, his illum aggreditur verbis: O Juvenis speciosissime, unum te rogo, ut quando respicies tu ipsius formam & formæ suspicies venustatem, quando pulcherrima illa intuebere membra, cogita, sed serio: Nunquid dolendum foret, si contingeret formosa hæc formosissimi corporis membra, fieri æterni incendi fomenta, perennium flammarum pabula? si illi limpidi oculi, aurea cæsaries, eburnea frons, roseæ genæ, corallina labra, nivea cervix, lactea colla, hoc tam affabre concinnatum corpus deberet obduci fuligine, involvi sulphure, fumare inter crepitantiū flammariū globos? Non caruit hoc consiliū successu: sæpius hæc Juvenis ille secū perpendere, sæpius in mentem revocare: nec fructu pœnitendo. Nam perspectâ tandem rerum omnium vanitate, mundum jussit res suas habere, eique renuntians, ad religiosam se contulit familiam, malens ibi brevi tempore corpus affligere pœnitentiis, quàm æternis affligi suppliciis. Ju-

Juvenis quidam in quasvis sese effundebat delicias. Interdiu ambulabat inter rosas, noctu cubabat inter plumas; omne tempus terebat inter delicias. Hic die quodam hæc secum cogitare: illam quam duceret vitam, esse viam ad mortem: incumbere sibi necessitatem semel patiendi vel hinc parva, vel postea summa: nemini fas esse transire à delitiis ad delicias; toto corpore, totâ æternitate ardere; non tantum esse grave, sed intolerabile. Ergo patiamur, ne patiamur: hinc ad momentum, ve postea in æternum. His ita expensis, ad D. Dominici sese contulit asceterium. Cum in sacra illa pietatis palæstra, corpus suum inflictis per cilicia, & flagella pœnis, graviter exerceret; parentes conscii, virum gravem ad eum delegant, qui suaderet, priusquam votis se Deo obstringeret, à statione discederet, Ordinem desereret. Quia, inquit, naturæ complexione nimis es delicatus, non poteris tam rigidi Ordinis sustinere asperitatem; ad quem Juvenis; Itane verò? Ideo mihi

hi

hi ad mundum suades reditum, quia delicatus sum; At hæc ipsa unica fuit, cur mundum deserui, causa: cum enim non nescirem me adeo esse delicatum, ut nec pulicis in summa cute possim perferre aculeum, nec unius noctis febriculam, nec unius scintillæ ardorem, quin præ dolore exclamem: Aeternos, eosque acerbissimos, per singula totius corporis membra, qui poterò sustinere cruciatus? Itaque cum alterutrum sit eligendum, elegi potius poenitentiae asperitatem in hoc Ordine, quam poenarum acerbicatem in illo loco, ubi nullus est ordo.

O homo qui desideras regnum Dei possidere, cur fecisti malum? Dum potes, emenda: dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum: dum datur spatium, luge: dum licentia est, poeniteas: festina dum potes, dum anima versatur in corpore, dum adhuc vivis, futurum remedium requirere tibi, priusquam te in profundo absorbeat pelagus, & priusquam te malignus rapiat infernus, ubi nulla datur indulgentia, tibi nul-

nullus regreditur ad veniam. S. Aug.
serm. 40. de Sanct.

Si haberes (ut ait S. Hieron.) sapientiē
Salomonis, pulchritudinem, & formā
Absolonis, fortitudinem Samsonis, an-
nos, & vitæ tempora Enoch, Croesi
divitias, Octaviani potentiam, quid
hæc omnia in fine vitæ profuerint, si
corpus vermibus, anima diabolis ce-
dat, ut cum divite Epulone æternis
tormentis torqueatur?

Expiatura erit illic inextinguibilis
concrematio, quidquid hic non studu-
erit sanare correptio. Ardens inferni
puteus aperietur, descensus erit, redi-
tus non erit. Illic denudati, & corpo-
raliter mortui perpetuum demergen-
tur, dejiciendi in tenebras exteriores
infeliciter exclusi, infelicius includen-
di. De hoc puteo Propheta dicit: *Ne-
que absorbeat profundum, neque urgeat
super me puteus os suum.* Psal. 68. Ideo
dicit, *Neque urgeat super me puteus os
suum*: quia cum susceperit reos, clau-
detur sursum, & aperietur deorsum,
dilatabitur in profundum, nullum spi-
ramen,

amen, nullus liber anhelitus claustr
desuper urgentibus relinquetur, de-
trudentur illic vale dicentes rerum
naturæ, ultra nescientur à Deo, qui
Deum scire noluerunt, morituri
vitæ & morti sine fine vi-
cturi. Eusebius Gall.

